





DVCE ET AVSPICE CHRISTO!
DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA
DE

3. 23

FRVSTRANEA ET
INCONVENIENTI MEDI-
CAMENTORVM ADHIBITIONE,

1715, 19

RECTORE ACADEMIÆ SALANÆ MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

D O M I N O

WILHELMO HENRICO,

DUCE SAXONIAE, IVLIACI, CLIVIAE, MONTIVM,
ANGARIAE, WESTPHALIAE, ET RELIQVA,

SVB PRÆSIDIO

GEORGII WOLFFGANGI WEDELI,

HEREDITARII in Schwarza

MEDICINAE DOCTORIS, COMITIS PALATINI CÆSAREI,
SERENISSIMORVM SAXONIÆ DVCVM CONSILIARIJ
ET ARCHIATRI,

THEORETICES PROFESSORIS PVBLICI ORDINARIJ,

h. t. PRO-RECTORIS MAGNIFICI,

Patroni & Præceptoris omni pietatis cultu & laude prosequendi,

PRO LICENTIA

SVMMOS IN ARTE MEDICA HONORES, INSIGNIA AC PRIVI-
LEGIA DOCTORALIA, MORE MAIORVM, RITE CAPESSENDI,

PVBLICÆ DISQVRSITIONI SVEMISSA

a

IOH. DOELZIO, Zeulenroda Varisco,

IN AVDITORIO MEDICO,

Horis ante- & pomeridianis confuetis,

Ad D.

Aug. MDCC XV.

IBENÆ LITERIS KREBSIANIS.

*Illustrissimis, Celsissimis Comitibus ac
Dominis*

DOMINO

**DN. HEINRICO XIII.
SENIORIS LINEÆ RVTHENO,
COMITI AC DOMINO DE PLAVIA, DOMINO IN
GRAIZA, CRANICHFELDA, GERA, SLEIZA
ET LOBENSTEINIO &C.**

ITIDEM

DOMINO

**DN. HEINRICO II.
SENIORIS LINEÆ RVTHENO,
COMITI AC DOMINO DE PLAVIA, DOMINO IN
GRAIZA, CRANICHFELDA, GERA, SLEIZA
ET LOBENSTEINIO &C,**

*Ditionum habenas faustis auspiciis ca-
pessenti,*

PATRIÆ PATRIBVS GRATIOSISSIMIS,

Dominis que meis submissa mente observandis.

HASCE STVDIORVM MEDICORVM PRIMITIAS


EASQVE INAVGVRALES

**EO, QVA PAR EST, CVLTV OMNIQVE REVERENTIA
DARE, DICARE, CONSECRARE**

Solius

seruus subiectissimus

IOHANNES DOELZIUS.



PRÆFAMEN.

EA artis Medicæ hoc seculo videntur fata, vt summum existimetur acquisuisse fastigium, ob tot ac tanta inuenta noua, facta experimenta, conscriptas obseruationes, collecta medicamenta tam simplicia quam composita, vt vix quis credat addi quid posse vel desiderari amplius. Adde numerum Medicorum quoque nimium quantum adauctum, longe magis Empiricorum omnis generis. Imo sicut olim quot morbi, tot Medici erant apud Ægyptios, ita vel vnus omnibus sufficere, si arcana & tantum non lapidem Philosopherum se gloriatur possidere, putatur. Nilominus vero cum exitus id longe doceat aliter, effectusque, nisi natura tanquam sui ipsius auxiliatrix succurrat, sæpius sinister vel nullus quoque insequatur, qui deinceps vulgo vel fato, vel defectui

4 DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
virium, vel morbi grauitati, vel eiusdem maligni-
tati, vel diætæ non strictè obseruatæ & nescio cui
non causæ adscribitur, solamen tamen cognatis mo-
rientium, se, cum multa deuoranda ipsis exhibuere
medicamenta, licet fato functi, non esse in culpa;
nec raro quis perspiciat, quod multi pares viribus,
ætate & sexu absque medicamentis reconualescant,
adeoque, ipsius diuini senis elogio, optimum non-
nunquam medicamentum esse medicamento non
vti: quandoque verò indicantibus & contraindi-
cantibus non rite ad se inuicem relatis adhibitio
medicamentorum peragatur plane inconueniens
non dicam noxia. Placuit hinc loco speciminis
inauguralis de Frustranea & inconuenienti medica-
mentorum adhibitione ventilare thema. Quod,
vt feliciter cedat, Numen, quod veneror, clemen-
ter adsit, peto.

PARS I.

De

Frustranea & inconuenienti medi- camentorum adhibitione in Genere.

S. I.

Cum medicamentum secundum Galenum l. i. c. i. de
Simpl. Medic. facult. sit omne id, quod naturam
nostram

nostram alterare (scilicet in bonum, non vero in peius) possit, quandoque tamen scopus alterationis, adhibitis licet medicamentis, neutiquam subsequatur; aliam oportet subesse causam, quare conatus Medicorum quamvis experientissimorum deprehendantur frustranei. Hoc, ut exemplo vel vnico dilucidem, calorem in febribus produco, qui vel omnibus refrigerantibus adhibitis restingui penitus nescit. Neque vero hoc est de necessario, Helmontiusque huius rei rationem in tract. de Febris satis exposuit; si enim, iuxta eundem, calor est motus vitalis, quo archeus accensus hostile in M. S. am illatum vult expellere, sequitur, quod hunc motum impedire, sit naturæ aduersari & archeo repugnare, quod e diametro officio Medici opponitur, quippe qui non aduersarius, sed fidelis naturæ minister esse debebat.

§ II. Læsiō deinceps archei & confusio naturæ male fieri solet, si medicamentorum, ingratorum inprimis, ægrotis licet abnuentibus (admodum enim sunt rari, qui cum desiderio illa expesant,) copia impertitur, ventriculus subactu impotens obruitur & grauatur, vnde plus damni quam auxilii sæpe sperandum. Id quod toto videmus die, & experientia, quæ plus valet quam centum rationes, vt vulgo recte dicitur, idem satis confirmare poterit. Quemadmodum enim, quod natura valetudine pressa aduersa, valde licet quandoque noxium secundum regulas Medicorum & αλόγως visum desiderat atque anxie exoptat, præsentaneum tamen vt plurimum fert auxilium, quale quid in febribus intermittentibus præcipue, tum vero & aliis in morbis solet fieri, ita &, quod natura abhorret & recusat, si nihilominus illud

velit exhibere, in maximum dabit ægrotum subito præcipitem periculum. Et huius rei plura prostant exempla, inter quæ dulcia sexui sequiori exhibita non infimum tenent locum, suffocatio namque & aliæ hystericae passiones præsto solent insequi, si ignarus rerum talia quibusdam fœminarum suppeditat: neque ignotum, quod tum iuveni generoso id summe deprecanti, tum alio casu virgini idem abnienti, a medico sinistri euentus cum adhiberentur clysteres, non minimum famæ eius intulere damnum. *Ἐπίδησιον* etiam in aliis amplum silentii si-
pario inuoluam campum.

§. III. Ars medendi non versatur circa obiecta passiva, quæ vi, si opus, possunt cogi, festinandoque scopus præfixus citius acquiri, sed elegit sibi obiecta actiua, corpora scilicet hominum anima, seu complexu facultatum variarum, instructa, quibus vim inferre non semper est consultum, id quod etiam raro fieri potest. Frustra enim quis tentauerit, febrem continuam ante suos depellere dies criticos, ipsum licet adhibeat Philosophorum lapidem, aut omnia sua & quorumuis arcana depromat aliorum decantata. Errant igitur nasutuli, qui Medicinam propterea exclamant fallacem & incertam, quia Medicus non semper potitur sine, nescientes aut scire nolentes, quod alius sit finis intermedius, alius vltimus. Item, quod obiectorum passiuorum finis facilius possit obtineri, quam actiuorum, quod obiter notare voluimus. Cumque secundum Chimicos archeus morbo, quod in febribus imprimis habet locum, incumbat vt gallina ovis, quomodo poterit cogi, vt opus suum citius absoluat? quemadmodum illud de gallina certum est, quam, vt cunq; tractes, pullos

pullos ante tempus præfixum non produces, nisi interea temporis totum perdere velis opus. Expectandum igitur, cordique illud habendum: Medicos etiam plus interdum quiete, quam mouendo atque agendo proficere.

§. IV. Exinde sequitur, quod incassum sæpius ad nauream vsque defatigentur ægroti medicamentis, siquidem certum, quod natura in morbis, acutis cumprimis, sibi ipsi succurrat, hostemque debellare & expellere satagat. Dixissem ferme me obseruasse, quod quandoque in morbis epidemiis eadem in reconualescendo vrentibus medicamentis fuerit fortuna, eademque talia recusantibus, expectantibus, naturæque soli fidentibus. Tale quid in variolis & morbillis infantum diuersis locis, aut etiam vno degentium conspiciendum, quibus siue Medicus auxilium ferat, siue non, vti in oppidis incultioribus, pagis, & penes pauperes Medici communiter his in morbis nulla habetur ratio, idem fatum, plerumque vero salutare contingit. Sic memini duos pueros fratres dysenteria pari passu laborantes, vbi alter medicamenta multa sibi desiderata adsumebat, alter vero eadem penitus respuebat; ille periit, hic vero pristinam sanitatem recuperavit. Quod quidem non eum adduco in finem, ac velim statuere, medicamentis igitur non esse vtendum, præcipue cum sciam sæpe subtrus latere & facile committi fallaciam non causæ vt causæ, vt cum Logicis loquar, rerumque non naturalium conditionem in morbis acutis quandoque in vno subiecto melius obseruari ac in altero; sed vt ostendam, quod natura optima sit medicatrix, qua deficiente, non erit in Medico, vt æger releuetur.

§. V. Porro vero quid tanto medicamentorum o-

pus

pus adparatu atque farragine? quis est quæso, qui negare audeat, plura vel ob consuetudinem, vel in speciem, vel ut ad palatum sint, vel ob alias causas adhiberi vanas, quæ tamen in rei veritate sæpenumero plane sunt frustranea, vel superflua, quæque natura tantum tolerat, dum postmodum eadem existente victrice egregie contulisse creduntur. Nec vero adeo dolendum, si instar adiaphororum se habent, omissa non nocent, adhibita non iuant, quam si hominem, quod interdum fit, in peius dant præcipitem. Et licet Medicus antiquarias secutus sine probabili ratione traditiones coeco saltim ductu diffusissimos veterum processus, ut in curationibus methodice omnia peragat, eligat, suffecisse credens morientes lege artis fuisse tractatos; magno tamen curationem ægrotorum sæpenumero protelat tædio, quem tandem Empiricus aut vetula superueniens vnico simplici specifico, vel drastico adhibito, sanitati restituit; siue alius Medicus, qui naturam accumulatis non turbat indices medicaminibus, ductum naturæ sequens curatricis, tamque ubi deficere vult iuuat, paucis quandoque vulgatisque morbum breui tollere magna cum laude & famæ solet incremento. Et hæc est via, quam, si plures incederent (aulicis; honoratoribus, ditiorebusque, qui quidem non adeo sunt soluti difficiles, aliquid indulgendum, ad palatumque delicatolorum interdum se accommodandum esse non diffiteor) non solum sibi ipsis impensis parcendo, praxinque suam diffusioem reddendo, sed & ægrotantibus in angustia rei pecuniariæ constitutis consulere possent, ceu qui postmodum neutiquam, uti ex metu soluendi faciunt, Medicum deferendo ronsores, phar-

pharmacopolas, vetulasque & alia Medicinæ cogentur quærere sibi carcinomata. Ut de arte Medica ipsa nil quicquam dicam, cui penes vulgus non parum honoris accresceret, si Empirici hoc modo sua sponte illi vltimum dicere necesse haberent vale.

§ VI. Pari ratione frustra adhibentur exotica & pretiosiora, si vel nostra tellus eadem profert, vel viliora prostant. Quæ enim præ foribus nobis crescunt, integris possunt haberi viribus; quod in exoticis sæpe aliter euenire solet, vbi in via situ obducta, exsiccata, & paucis adhuc relictis adportantur viribus. Sic lignum juniperi æquipollet ferme lignis exoticis, & bacca eius viridescentes in excellentiori gradu vim possident *αλλοιωτην*, nemo tamen pro medicamentis illas cupit agnoscere, sunt enim nullius pretii & nimis parabilia, quippe quæ ob rationem status pretiosioribus licet non præstantioribus solent posthaberi. Sic gemmis quoque tanquam nimis caro medicamento facile carere, eorundemque loco corallia & alia haud infeliciori vsurpare possemus successu, nisi multos vestigia veterum presso insequi volentes pede vana obcæcasset autoritas, adeo vt religioni sibi ducant, si vel latum vnguem ab illorum constitutionibus & curandi methodo recederent.

§ VII. Hunc in censum porro veniunt magno labore multoque facta composita pretio, vbi tamen simpliciora eundem præstitissent effectum. Sane, si quasdam officinarum radiosissimas laboriosissimasque percurrere vellemus formulas, pauca rem absolueret totam, reliqua vero ingredientia esse superuacanea facileque omittenda deprehenderemus. Ne dicam de peruersa sæpe compo-

nendi consuetudine, ubi coelum terræ, frigidis calidæ, sicisque humectantia & saporis contrarii commixta, sine ratione adhibentur. Nec vero sufficit plenos esse omnes libros compositionum formulis penes Medicos ciuitatē iam donatis, adeo, ut officina nulla tam ampla tamque sumptuosa hodie, quæ posset omnia composita condere, coëmere, & adseruare, inueniatur: accedunt indies variationes, interpolationes atque castrationes, saltem ne finis sit compositionis, & nomen Auctor quilibet suum reddat immortale.

§. VIII. Cui bono ulterius multorum instituitur præparatio, quæ cruda dudum innoxia fuere experta, per hanc autem virium non tantum nihil acquirunt, sed quandoque etiam non parum perdunt; id quod de plerisque potis, nutritis, vltis, tostis & aliis est compertum, quæ omnia frustra adhiberi operosiora nemo forte ibit incicias. Quod enim fieri potest per pauca, non debet fieri per plura, suntque entia præter necessitatem non multiplicanda.

§. IX. Longe tamen inconuenientior, ne dicam periculosior sit adhibitio medicamentorum, alienæ & dubiæ præparationis, vel medicamentorum in seipsis dubiorum. Quis enim non nouit errores, ignorantiam & negligentiam plerorumque pharmacopolarum, ut ministros, quibus quandoque quæ ultra captum sunt, demandant, taceam. Quem latent fraudes, quibus, ut lucrum quærant, astute solent empiricos, interdum plane Medicos subridendo decipere? Luditur certe hic de corio humano, petitur ægroti iugulum, Medicique periclitatur eo ipso fama. Est igitur res non vilipendenda, sed magni admo-

DE FRVSTR. ET INCONVEN. MED. ADHIBIT. II

admodum momenti, noxaque inde interdum resultans non pharmacopola forsan, sed Medico imputari consuevit. Sic error committitur facile e. g. in mercurialibus & arsenicalibus, quæ vel non rite præparata, vel in maiori dosi, vel nimis iterato adhibita magnum inferunt damnum. Memini ex D. Præside de studioso terna vice saluationem mercurialem subeunte audivisse, in cuius ventriculo, cum mortuus esset dissectus, foramen gangranosum fuit observatum. Item, quidam pro arcano per literas acceperat adhibendum esse in febribus intermittentibus arsenicum, quod, cum fecisset, & gr. vj. circiter, rustico cuidam quadrato exhibuisset, ille subito per totum corpus, ad instar tympani intumuit, ægre faucibus mortis eripiendus.

§. X. Frustra itidem adhibentur medicamenta & ordinantur ad quævis symptomata non vrgentia, sed leuidentia, & depulso morbo, vel etiam citius, si non essentialia, cessantia, iuuare quidem ad tempus visa, sed interdum multum damni post se trahentia. Sic, si quis vellet in febre petechiali ante eruptionem ad dolorem capitis abigendum varia externe refrigerantia & alia imponere, de sinistro euentu propter petechias latentes eruptuque impeditas vt viueret sollicitus, esset necesse. Item si quis in variolis reserare obstructam velit alvum, non parum peccaret; id quod in puella contigit, quam, cum Empiricus visitarer, & de obstructione audiret, siropum exhibebat, quo alvus quidem aperiebatur, sed mors presso insequabatur pede, quod ipsum fatum non pauci sunt experti.

§. XI. Non negandum vterius, quod multa in-

cassum adhibeantur medicamenta, vbi Medici fides quacun-
 que de causa penes ægros pauca est, vel plane nulla. Fit illud, si famam suam non tueri satagit, si incautus
 est atque improvidus, in dignoscendo, prognostica sistendo,
 atque curando; item si habitus & mores eius ad gratiam
 & auctoritatem non sunt compositi: Si fauorem hominum
 non ambit iuuenis, & quæ sunt plura non semper vero
 imitabilia apud Machiauellum legenda. Sufficit si pietate,
 conditione cæterisque animi virtutibus est exornatus, vestitus
 honeste incedit, & nimiam, hominum vilioris præcipue
 fortis, contemptum parientem euitare studet familiaritatem,
 ceu qua confidentia & fiducia sæpe ægorum erga Medicum,
 quæ tamen plus, quam tertia curationis pars est, amittitur.
 Vetus namque & verum proverbium, illum plurimos, cui
 plurimi fidunt, sanare. Et notabile exemplum refert
 Valentinus de Quæstore Principali, qui, graui quodam morbo
 detentus, generum suum Medicum alioquin dexterrimum in
 consilium vocauerat. Hic vero medicamenta quidem
 nobilissima, & in consimilibus casibus efficacissima
 præscribat, sed absque vilo leuamine. Vocatus igitur e
 vicinia Medicus veteranus, vix inspecto ægro, hic omnia se
 perbelle habere, nec tantum, vt relatum sibi esset, periculum
 subesse adserens, tantum patienti addebat animum, vt
 antea fere exanimis se ætutum eleuaret, & medicamenta
 quadam ab illo peteret. Præscribat autem eadem, aut
 similia, quæ gener iam dum propinarat, hisque ægrum
 breui in integrum restituit. Tantum ille, qui & fiduciam
 ægorum Medicina ambiendam & conciliandam prolixius
 exposuit in Medicina sua Nou.-Antiqua, p. 164.

§. XII. Nihilominus incassum quis adhibuerit medicamenta, si methodum medendi neglexerit, nec quæ conseruari; quæ vero auferri; quæ secundum, quæ præter naturam; quæ contraria, quæue similia attenderit, inter indicantium con- & dissensum non rite distinxerit, nec ad primum ante omnia respexerit, si vitalem indicationem reliquis postposuerit, non perpendens, vires esse indicationum tyrannos; si in adhibitione medicamentorum experientia seposita nimis scrupulosus & ambiguus fuerit, adeoque prouerbum veterum: quo melior eris theoreticus, eo peior eris practicus, adimpleuerit.

§. XIII. Nec vero specialiores indicationes sunt prætereundæ, quippe quæ, non bene obseruata, sæpe spem eludere Medicorum, illosque sefellere. Sic in alterandis non delabendum ad extrema, v. g. cauendum in affectibus capitis, ne calorem cerebri natuum debilitemus; in pectoris, ne nimis vel refrigeremus, vel exsicceemus. Nec modo in intemperie corrigendum, sed & educendum, vt reliqua materia in massa sanguinea peccans facilius queat subigi & diffari. Et quemadmodum in conformatione praua interdum præstat manum de tabula, ita & in vnitæte soluta prouide agendum, quod tumores & vlcera cancriformia docere poterunt, de quibus infra. Error quoque iste haud siccò transeundus pede, qui committitur, vbi, quæ semel iuuare visa sunt, sine discrimine continuanda existimantur. Exempli loco sit venæsectio, quæ prima quidem vice iuste administrata prodest, secunda vero, vel etiam tertia non item, vel vice versa; quod syncopæ *αἰμορραγικῆ* satis ostendit, ceu vbi prima vice parte sanguinis subducta, motus feliciter procuratur,

74 **DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA**

ritur, iteratio vero spiritibus massam sanguineam depauperat, noxamque inducit.

§. XIV. Ut vero Medicus cito, tuto ac iucunde curet, omnes perpendat necesse est circumstantias, ni spesua velit frustrari. Habeat rationem subiectorum, nam circumstantiæ uti ius, ita & medicamenta variant; aliter namque tractandi infantes, aliter iuvenes, aliter senes: hæc nobiliori, illa sequiori magis conveniunt sexui; quæ cacochymia biliosa, non item pituitosa sunt proficua, & quæ melancholia exoptat, sanguineum temperamentum quandoque repudiat: item alia scorbutico frigido, quæ calido noxia, conducunt. Habitet secum Medicus, & probe consideret, quid & quomodo agendum? an vestibus morbus remouendus & debellandus, an vero secundum naturam ductum provide procedendum? Uterius loci circumstantiis se accommodet, quæque homines & quantam ibi ferre queant, adnotet: Australium namque locorum incolæ non eadem tractantur ratione, ac Borealium, aliaque est natura Italiae, alia Sueciæ; alia civis cultioris, alia rustici quadrati. Selectus itaque medicamentorum instituentus, videndumque, num fixiora, num vero volatiliora pro circumstantiarum ratione præstent? item quo tempore singula adhibenda; num mane? uti pleraque purgantia: num vesperi? uti opiata: num circa prandium vel coenam? uti Salia: num vernale tempus curationi magis conducatur? quod de impuritatibus sanguinis valet; num vero quodcunque eligatur parum referat? quibus neglectis oleum & operam quis facile perdat.

§. XV. Cauto præterea opus est Medico atque prudentia, si famæ cupit consulere ac morbo. Cautus esto
Medic-

Medicus ac prudens in medicamentorum selectu, cautus in adhibitione, cautus in dosi continua & discreta, cautus in malignitate indaganda, sapius a posteriori demum conspicua; nec, quod belli duci turpe ducitur, deinceps dicat: non putaram. Quæ omnia, si non rite attenduntur, sinistra res cedere solent. Sic linteamina aceto calido imbuta, serotoque ad abigendam hydrocelem improvide applicata, in iuvene quodam epilepsiam pepere-re: porro obseruatum in virgine robusta, febre synocho laborante, purgans exhibitum, *ævo* hypercatharsin periculo-sissimam, non nisi febre ablata compefcibilem, excitasse. Item a nitro, quod nonnunquam in alui fluxibus compefcendis alias, inprimis si tantillum Laudani opiatum, fert opem, adhibito in dysenteria, cruciatus acutissimos & tantum non infernales virgini illatos lethales.

§. XVI. Vti, *πάντα κατὰ τὴν κῆρ* *δοξημοσύνην* ut fiant in Ecclesia, Paulus monet; ita idem quoque de medicina dictum esto, quippe quam lege artis suæ tractare multum interest: Hoc enim si secus fiat, facile adhibentem medicamenta tanquam inutile pondus respuet. Hoc arduum, hic labor, hic obex Empiricis positus, qui genuinis Medicis essent ex parte haud ignobiliores, quippe medicamenta optima noscentes, nisi adhibitio l. a. peragenda fortunam eorum diminueret: Hac etenim neglecta, effectus sinister, aut nullus subinde timendus: quod Empiricis sapius contingit, qui tamen, sedibus incertis errabundi, ante actorum sibi spondent obliuionem. Error communis committitur e. g. in curatione scabiei, inprimis humidæ, quæ, si non lege artis tractatur, sapius in peius degenerat. Sic vidimus ab inunctione externa scabiem in virguncula re-

tro-

propulsam cum subitanea suffocatione: item a purgante fortiori, exhibitio improvide scabioso, angustiam pectoris & dyspnoeam. Adde, quod quæ non ita nocuisse, sed potius multum profuisse visa, tamen sine artis lege adsumpta, mala in corpore haud exigua patrarint. Exemplo sit aqua fontis salubris prope Altenburgum nuper detecti, quæ viro diarrhœam diuturnam cum ἀνωδονία sphincteris, iuveni vero scabioso cachexiam hydropicam, quam mox insecuta epilepsia & stertorosa lethalisque suffocatio, peperit miserimo cum spectaculo.

PARS II.

De

Frustranea & inconuenienti medicamentorum adhibitione in specie.

CAPVT I.

De

Frustranea & inconuenienti medicamentorum generaliorum & indeterminata operationis adhibitione.

§. I.

Incongrue in specie adhibentur vltcrius medicamenta, nominatim emollientia, vbi tonus partium laxior iam dum deprehenditur, tam interne, quam externe. Male igitur quandoque longiori mora suppurantibus tractatur a Chirurgis vlcus, quod potius exsiccantia requirit. Et dicta hæc emollientia non habent præterea locum in cancro occulto, vbi materiæ malignitatem & acrimoniam præ-

præstat detinere in centro, nec ita improvide & temere diffundere, malum enim eo ipso exacerbatur, ægerque in peiorem longe præcipitatur statum.

§. II. Facile etiam quis errauerit, si adstrictionis ergo utatur aquis, decoctis, emulsionibus, sirupis, clysteribus, suffimentisve adstringere vulgo sed falso creditis. Vti enim aquosa non nisi valde diffuse vim retinere queunt stypticam, emulsiones vero atque sirupi ob dulcia humores facile turbant & emolliunt; ita clysteres vel leniores, vel fortiores effectum vel minimum, vel sinistram solent relinquere. Suffimenta denique ob calorem coniunctum, poros dilatant, adeoque adstrictioni non velificantur.

§. III. Neque laudandi sunt, qui aperientia vniuersalia cum particularibus confundere solent; sunt enim suo qualibet loco atque tempore adhibenda. Nec etiam dulcibus aperientibus æque tuto licet fidere, conspurcant quippe sanguinem, & licet aliqualem edant effectum, fomitem tamen obstructionum iterum post se relinquunt, & minimum quantum profunt, tantum etiam rursus nocent.

§. IV. Sic nec inconsiderate vtendum incrassantibus & repellentibus; illis quidem in hæctica & phthisi confirmata non datur locus, nec in adfectibus pectoris, vbi materia potius resolui & rursi amat reici: hæc vero vbi maligna & venenata, aut critice mota vel defluxa materia deprehenditur, minus conuenire sunt existimanda.

§. V. Inconuenienter quidam volunt adhibere in hydrope vesicatoria cruribus, aut etiam abdomini ipsi in ascite, non considerantes esse remedium impropportionatum, nec quoque satis tutum: illud quidem, quia non excinditur radix, nec tantum potest educi vesicatoriis aquæ, quantum

subinde denuo colligitur; hoc vero, quia ulcera hydropica ob ichorem & falsedinem continuo adfluentem nequeunt consolidari, interdum quoque plane gangranosum quid inde metuendum. Ut de loco adplicandi nil quicquam dicam, cuius tamen probe habere notitiam multum interest. Ita vir aliquando primarius a vesicatorio diffusius adplicato ab imperito rei ceruici, non rite obseruata artis lege, pœnam luere vita fuit coactus.

§. VI. Corrosiua præterea itidem adhibentur frustra nominatim in fungis canceriformibus, & cancro ipso, acrimonia enim concentrata & silens tunc excitatur, augetur, & vterius propagatur. Id ipsum etiam in obesis valet atque macrioribus. In illis quidem, quia pinguedo male admittit consolidationem, & gangranosum vlcus inde facile metuendum: in his vero, quia iam humoribus serosis destituti non bene ulteriorem istorum ferre queunt priuationem. De tenellis res clara est, quod adhibitio corrosiuorum, nisi summa urgente necessitate, sit absurda, inprimis cum remedium morbo non debeat esse grauius, nec crudelius.

§. VII. Nec vero traumatica, sarcotica, glutinantia, & epulotica impune semper adhibentur. Videmus enim sæpius post vlcera curationes relictam conformationis defectationem ab adhibitis nimis siccantibus sarcoticis. De glutinantibus autem & epuloticis, vt plura dicam, vix opus erit, cum Chirurgi de frustranea horum adhibitione ferme omnes testes esse queant viui, quippe qui toto die consolidatione ad speciem facta, & cicatrice obducta, eandem rescindere, & corrosiuis, ob cuniculos nondum consolidatos, labia vulneris denuo dilatare consueuerunt.

§. VIII.

§. VIII. Præterea medicamenta quoque contra ambusta indifferenter adhibita non semper bene cedunt: quæ enim in primo ambustionis gradu, vt galla, aluminosa, brassica muriata, &c. caute quidem vsurpata, conueniunt, eadem in secundo & tertio gradu non valere constat, ibique exulceratio & erosio longe alium, si cito debeant consolidari, requirunt curandi modum. Experti sunt idem, quibus sal aspersum a feruente cereuisia aliisque similibus cessit in summum cruciatum & mortem.

CAPVT II.

De

Frustranea & inconuenienti medicamentorum determinata operationis ad aliquam partem adbibitione.

§. I.

Poterat quidem in antecessum disquiri, num dentur specifica? sed cum illud sole meridiano clarius, & vel ex contrariis, quorum eadem est ratio, possit demonstrari, v. g. cantharides solis nocent vrinariis partibus &c. ad ipsam tractationem accedemus. Materia autem huius capituli cum sit nimis proluxa, delibare saltem quædam ex quolibet titulo placuit, cum ad omnia accuratius adnotanda magnum requiratur volumen, neque nostri operis sit longius his iam occupari.

§. II. Vti in curatione semper ad partem adfectam per essentiam est respiciendum primario, ita hoc vel maxime debet obseruari in adbibitione medicamentorum cephalicorum, nisi frustra quis irritam operam velit impendere,

C 2

quan-

quandoquidem caput plerumque solet adfici per consensum, ubi cephalicis licet omnibus adhibitis, parum, vel nihil proficias. Sic consensus illi intercedit cum ventriculo, atque in foeminis cum utero, unde instante fluxu mensium ligatas capita incedere, & de cephalalgia conqueri easdem audias. Ut alias causas huius non meminerim, doloris, v. g. scorbutum, imminens narium hæmorrhagiam, absentiam vel nimiam suturarum coarctationem, adeo, ut transpiratio impediatur. In quibus casibus omnibus frustra sæpius multi morbum curare tentant communiter ita dictis cephalicis.

§. II. Deuoluimur ad ophthalmica, quæ sæpenumero non solum frustra, sed plane inconuenienter adhibentur: qualia sunt acrioria in ophthalmia, adfluxum humorum augmentia, ut vitriolica & camphorata. Item emplastica & anodyna eodem in casu usurpata oculos solent lædere. Quod iidem faciunt emollientia, fotus calidi, & suppurationia. Sic me memini edoctum de Studio, qui ad serenandos oculos subinde fotus & suffitus ex ophthalmicis applicuerat calidos, & inde reportauerat cataractam: qua quidem, saltim semiconfirmata, ut plurimum frustra medicamentis depellere eandem quis sustineat. Sic nouimus virum vno oculo cataracta confirmata, altero semipfecta, qui auxilium petebat: ad maturationem expectandam dimissus, incidit in manus Empirici Oculista, quos Operatores vocant, qui haud exiguo sistro ita illum curauit, ut, quæ antea adhuc cernere, eadem nunc tangendo saltem querere cogatur.

§. III. Et Oticorum quandoque sinister visitur euentus, a quorum præcipue, ad clysterum morem iniici solitorum, nec

nec non pinguium, quorum illa quidem tympanum laxant, hæc vero poros obuiscant. Calida quoque & frigida, non minus & acriora hic exulent necesse est.

§.IV. Cumque salia omnis generis, itemque frigida pectori sint inimica; ideoque omittenda, dulcia vero, humectantia, tepida, resoluentia, interdum & adstringentia magis ibi requirantur, videndum probe, ne & hæc frustra adhibeantur. Sic laborans quidam cholericus κατ' ἐξοχλῶ tussi sicca, aduocat Medicum, qui per quatuor hebdomadam spatium bechica, demulcentia, decocta tepida, & alia adhibebat, irritum tamen cum effectu. Tandem autem, quia iuuenis hæmorrhagiam narium sæpe passus, incidit in hæmoptysin lethali cum euentu.

§.V. Cardiacorum, analepticorum, & confortantium vsus in gratiam ægrotorum est concedendus, cauendo solum, ne volatilia nimis, vbi sanguis iam iam rarefactus, sinistres præscribantur, & angustia inde subsequatur pectoris.

§.VI. Præterea etiam stomachicorum probe habenda est ratio: alia enim suppleunt defectum spirituum, caloremque restitunt, alia acunt menstruum, alia denique tonum intendunt. Quodsi confundantur, frustra coram erit adhibitio.

§.VII. Hepaticorum facilis & communis est error, quandoquidem a plerisque adhibentur sola aperientia, nullo ad dilutionem habito respectu; sine qua tamen quis parum se profecisse in fine cognoscat. Idem valet de spiritibus vinosis largius adhibitis & crebrius. Hocque de splenicis quoque dictum esto.

§.VIII. Periculosa porro est quandoque & anceps valde nephriticorum adhibitio, præcipue, cum calculus dolo-

res excitet : dabis enim vel diluendo - demulcentia , vel resoluendo . pellentia : illa vix protrudent calculum , & consequenter radicem morbi non auferent ; hæc facile eundem in vretes præcipitabunt , & malum potius augebunt.

§ IX. Idem fatum vterinis ex parte contingit. Si enim occurrat fluor albus cum fluxu mensium nimio, qui in sterilibus sæpius deprehenditur adfectus, & dentur abstergentia, terebinthinata, succinata, lap. cancr. &c. fluxus mensium vtplurimum augetur ; dentur styptica, neuter curatur adfectus. Nisi igitur quis vires intendat, laudem a mulierculis vix reportabit. Vt taceam pellentium & aperientium frequentem confusionem, & inconsideratam, dulcium passiones hystericas excitantium adhibitionem.

§. X. De arthriticorum frustranea adhibitione vt multa & proluxa proferam, non erit, credo, opus, podagrici enim vel me tacente vbique ferme locorum, a repellentibus & promiscuo saltim topicorum vsu nimium quantum læsi, id ipsum satis comprobare poterunt.

§. XI. Nec purgantia, licet fortiora visa medicamenta, suum promiscue adsequuntur scopum, præcipue apud plebem, gentemque ruricolam : huius enim nationis homines sola expetunt purgantia tam *ânô* quam *uáto*, repudiatis præparantibus vel aliis accommodis. Sic dedimus purgans fœminæ cuidam v. g. ℞. gialap. ʒβ. resin. scamm. gr. xv. ♀ emet. gr. iij. crem. ♀ parum, & post aliquot horas reiterauimus irritò cum successu. Item, dedimus ancillæ febre intermittente laboranti ♀ emet. gr. vij. vno præbio, & hora elapsa gr. iij. adhuc exhibuimus, non nisi vnico subsequente vomitu. Sed hæc magis extraordinaria.

§. XII.

§. XII. Prouoluimur nunc ad venena & eorum varii generis antidota, de quorum frustranea adhibitione experientia satis loquitur: quandoquidem pestis tantam subinde edit hominum stragem, vt Medicos ferme pudeat dixisse, se possidere medicamenta aduersus pestilentia venena. Quamuis enim omnia sua adhibeant bezoardica atque antidota, pauci tamen sunt, qui peste correpti, medicaminibus queant restitui.

§. XIII. Sudorifera porro, & resoluentia suum quidem, accedente præcipue calore externo, cui destinata sunt, ut plurimum faciunt officium, finis tamen vltimus sæpius non subsequi solet exoptatus.

§. XIV. Si quis causam flatuum non rite obseruauerit, carminatiua facile dabit incassum. Sic laborabat vir quidam colica flatulenta, a carminatiuis nullum sentiens leuamen; dato vero laxante (nam aluus a comesto pane calido erat obstructa) subito leuabatur.

§. XV. Anthelminthicorum effectus solet esse sæpe præsentaneus, vnde & ad agyras & verulas abiere. In lumbrico tamen lato seu cucurbitino, & vbi longi, quos lumbricos vocant, fuere conglobati, multis frustra licet adhibitis anthelminthicis, diris symptomatibus cruciantur ægri, & quandoque obeunt, vbi post mortem, instituta sectione, intestina obseruata fuerunt perforata, restantibus adhuc in iisdem, vel in abdomine, auctoribus mortis, vermibus.

§. XVI. Sic nec diuretica sunt lenti effectus; attamen calculo incuneato, aut in vretere sabulo hærente, alteroque per consensum adfecto, sæpius omnibus adhibitis contra malum potius exacerbatur.

§. XVII. Accedant virgines chlorotica, quibus fons sanguinis

nis

nis vel nondum apertus, vel obstructus iterum est, & dicant, quare emmenagorum stantibus laudibus viuidum non recuperare queant colorem? foeminæque steriles, quas Salomo ob desiderium liberorum infatiabilibus adnumerat, quare mensium fluxus nimius sisti in illis nequeat, rationem reddant!

§ XVIII. Auctio quidem & diminutio lactis non est de nihilo, quandoque vero utraque fallit. Nunc enim ob lac deficiens nutrices sunt quaerendæ, nunc vero ob abundans, & in coagulum abiens inflammatio sequitur mammarum infelicissima.

§ XIX. De anodynis, paregoricis, & narcoticis non dicam, quod sint sapius saltim palliativa, nec investiuas aliorum adducam. Sufficit, quod expectationi vulgi hoc modo satisfacere, ægrotos demulcere; nobisque fiduciam hominum his ipsis medicamentis tacite conciliare, & cum ad plausu discedere queamus.

§ XX. Errhinorum & ptarmicorum effectum in oculos & aures ad nauseam vsque incidentem non facile quis negauerit; attamen frustra interdum solent adhiberi. Sic v.g. dantur ad lympham spissescentem & ad nares propensam educendam (die Flüße vom Haupte abzuführen) mouetur vero sæpe materia, sed non promouetur, vel quantum educitur, tantum subinde rursus adfluit. Ut oculorum subitus laborantium nullam faciam mentionem.

§ XXI. Quod autem de adfluxu lymphæ in vsurpatione errhinorum diximus, valet etiam de masticatoriis & salivantibus: exemplo possunt esse Tabacibibuli, qui, quantum saliuæ exspunt, tantum subito adfluere sponte consueuntur,

tur. Mercurialis denique saluationis vsum experiatur, qui commertus est.

§. XXII. Aphrodisiaca raro quis, nisi atate confectus, petere audebit; sique necessitatis, non vero libidinis ergo id fiat, concedenda. Antaphrodisiaca vero monachis & virginibus Vestalibus, dono continentia destitutis, sponte relinquemus.

§. XXIII. Restant adhuc ischæma, quibus insufficientibus, & frustra adhibitis, Mars atque Vulcanus, licet crudeliter, tamen saluari cum euentu, in hæmorrhagiis compescendis majoribus, succurrunt, fugientemque hostem valide compescere norunt.

CAPVT III.

De

Frustranea & inconuenienti adhibitione medicamentorum Galenicorum.

§. I.

VTi deglutitione difficili laborantibus frustra exhibebis bolum, ita sinistram effectum ab eiusdem non fermentati adhibitione, vbi vitiosa in ventriculo iam adest fermentatio, obseruare poteris.

§. II. Quod idem de omnibus dulcibus & saccharatis, qualia sunt electuaria, looh, morsuli & rotulæ, dictum esto, præcipue vbi humores biliosi vel acidi in primis hærent viis; notumque est dulcia omnia in recessu esse acida, facileque in ventriculo adescere, bilescere, & acrimoni.

D

26 DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
moniam contrahere, quod euitare, quam experiri præstat,
sed simili lege.

§. III. Nec huius farinæ emulsionibus, propter me-
tuendam inde fermentationem, æque tuto licet fidere,
præcipue, cum ructus, flatus, interdum & singultum pro-
duxisse sint obseruata.

§. IV. Galenica diffusa decocta iam fere exoluere,
ideoque non erit opus, vt plura de illis proferamus: ex-
temporanea vero hodie eliguntur, pugillatim facta, quæ
tamen & quis in ventriculo debiliori, humidiori, sique
in reliquo corpore humores abundant, frustra adhibuerit.
Et idem hoc de infusis & potionibus suo dici potest & ve-
rum est modo.

§. V. Clysteres, plurimi ob verecundiam repudi-
ant, præstatque sæpius eorum loco vti foliis sennæ haud
infeliciori cum successu. Adde quod in procidentia ani
non conueniant, nec ob adsuetudinem naturæ nimis rei-
terandi: cui tamen placet & iucundum est adplicare
eosdem, per nos licebit.

§. VI. Viribus nimis debilitatis, seroque abundan-
te, vel motu peregrino gaudente, v. g. in tussi, cachexia,
hydrope, coryza, si adhibere velis balnea, plus nocueris,
quam profeceris: quod item de febribus sit dictum.

§. VII. Pillulis frequentior vsus odium ferme pe-
perit; caute igitur cum delicatulis, ne odium in se de-
riuet, agat Medicus. Adde, quod siccoribus exhibitæ
corporibus effectum, quem quis sperabat, vix sit obten-
turus.

§. VIII. Quemadmodum pulueres non libenter ad-
sumuntur, aut deglutiuntur ab hominibus, quibus degluti-
tio

tio salua obtigit ; ita multo minus, quibus ab angina-
 œsophagus & muscoli pharyngis coarctantur, tunc enim
 eos frustra adhibueris ; quemadmodum & de sicciõibus,
 hecicis v. g. illud verum est, vbi humectantia magis e-
 runt proficua.

§. IX. Inconuenienter vterius adhibentur cata-
 plasmata in fungis & tumoribus nominatim cancrõsis, &
 ipso cancro, quippe qui postmodum serpit latius. Nec
 ob pororum obstructionem profant, vbi malum trans-
 spiratione tolli debet insensibili. Exulent præterea in so-
 luta vnitãte, ibi enim non humectandum, quale quid a
 cataplasmatibus sperandum, sed siccitatem amat coalitio.

§. X. Nec epithemata locum habent, vbi humida
 exesse debent, vbi crisis est futura, & vbi latent exan-
 themata, variolis namque & petechiis erupturis sunt
 impedimento, de quo supra.

§. XI. Sic vnguentorum, præcipue pinguium, non
 parum sæpe noxæ ægrotis attulit adhibitio : obstruuntur
 nempe eo ipso pori, laxantur vlceris labia, & ex tumore
 & vlcere benigno cancrõsum quid & malignum facile
 nascitur.

§. XII. Qui refrigerandi sine adhibent emplastra,
 longe errant, impediunt enim transpirationem, adeoque
 calorem magis subtrahunt. Suo id experiuntur quan-
 doque damno erysipelate adfecti, qui per emplastra illud
 exulcerant, quod per transpirationem facili potuisset abi-
 gi negotio.

§. XIII. Cucuphæ non quidem valde frequentan-
 tur, suos tamen patiuntur manes, & frustra per longum
 tempus interdum capiti gestantur impositæ ; quod sit in-

ter reliqua, vbi per consensum illud solum laborat, vbi dolor vrget, & vbi temperamentum adest cholericum; Quemadmodum enim in isto casu fons & focus est respiciendus, ita in illo anodyna sunt præstantiora, in hoc vero biliosi abundant humores, qui, adhibita cucupha, non sedantur, sed potius magis in motum citantur.

§. XIV. Collyria vsu suum quidem habent, si recte adhibentem inuenerint; velle vero iisdem vulnera oculorum consolidare, aut guttam serenam curare, esset absurdum.

§. XV. Galenicorum denique medicamentorum agmen claudant gargarismata, quæ, cum sint vel frigida, vel calida, repellentia vel lenientia, adhibitio illorum erit anceps: si enim ἀλόγως fiat, æger anginosus metum suffocationis, aut mortem ipsam opinione citius ac feliciter (scilicet,) subire poterit.

CAPVT IV.

De

Frustranea & inconuenienti adhibitione medicamentorum Chemicorum.

§. I.

FRustra adhibentur denique etiam & inconuenienter chimica, & quidem in specie salia alcalia, vbi acidum fixans in corpore non deprehenditur, vbi rarefactione & exaltatione sanguinis & spirituum non est opus, nec nerui veniunt roborandi. Nec quidem frustra solummodo, sed quandoque plane cum noxa: acido enim cum sint contraria, illud, quod reliquum in corpore deprehendunt,

dunt, destruunt, vnde postmodum appetitus minus viget, vires debilitantur, accedit membrorum lassitudo, &c. Si autem rarefit & exaltatur sanguis atque spiritus, calidum & humidum dissipatur ac depascitur, corpus vel emaciatur, vel subumescit, viscera de tono suo deiciuntur, perit vera nutritio, & quæ reliqua sunt mala inde oriunda, scilicet prona est hectica, cum sudoribus colliquatiuis, & reliquis signis. Caute præterea sunt adhibenda, licet humores adhuc in corpore vigeant alibiles, confusio namque ipsæ sanguineæ ab alcalibus, volatilibus imprimis, facile oritur, vnde natura cogitur succumbere, v. g. si quis talibus in variolis promiscue veller vt, sinistra vt plurimum rem cedere deprehenderet. Sic notauimus in virgine plethorica, purpuram simplicem vna nocte, licet *o g d o s i d i*, natam, a solis comestis, quos in marsupio forte inuenerat, lapidibus cancerorum, intra biduum vero curatam.

§. II. Incongrue porro Salia adhibentur acida, nominatim in arthriticis, podagricis, ischiadicis, &c. irritant enim, & hostem quietum in aciem prouocant: idem valet de acidis, vbi pruritus, scabies, aut vlcera corpus infestant, quæ singula ab illorum erosione facile exacerbantur. Cumque acida neruis sint inimica, in illorum affectibus omni modo cauenda, quod in spasms, seu conuulsionibus tonicis ac clonicis, atque in ipsa epilepsia probe venit obseruandum. Sic puella insuleus a terrore oriundos patiebatur epilepticos, aduocati exhibuimus medicamenta felici cum successu: paulo vero post esuriens oua aceto apparatusa perit, quibus comestis, epilepsia adeo frequens & fortis repetit, vt animam quando-

30 DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

que agere dicta existimaretur puella, ab adhibito vero anodyno nervino malum mox sopiebatur. Nec etiam conueniunt acida, vbi opus est expulsione, aut vbi ventriculus adest papyraceus; ibi enim materiam explodendam cohibent, hic vero *ναύμα* excitare tristi cum sensu atque singultum solent. Cauenda eadem vltierus, vbi nutriendum, vbi humectandum, vbi menses fluunt, vbi lymphæ salsa vel motu peregrino gaudens adest, & vbi præstat calefacere, operationes enim his omnibus edunt contrarias.

§. III. De tertio salium genere, mediiorum scilicet, quæ enixa Chemicis audiunt, pauca adhuc in medium proferam, Repetendum vero hic, quod de acidis dictum, scilicet eadem non conuenire in adfectibus curaneis, vt scabie, adde & in ophthalmia, quod hic maxime valet, nec in statu lymphæ acriori, quippe vbi præsentaneum inferre solent damnum, quale quid comestio halecum quemuis satis docere poterit. Nec etiam nutritioni velificantur, vti nec salia reliqua omnia, sed siccant potius, & *γλιγορῶν*, quo nutritio fieri adsolet, incidunt & destruant. Sunt præterea omnis generis morborum autores, inprimis vero scorbuti, quod maris Balthici accollæ suo satis experiuntur damno.

§. IV. Salia atque salina vti dicto modo solent adhiberi frustra, ita in hunc censum facile etiam veniunt sulphurea, præcipue impura, quæ ventriculus non retinet, sed eliminare consuevit. Nec vero sulphur commune, solet semper tuto adsumi. Sic nouimus Studiosum, qui laborans scabie, de sulphure communi, quod interius adsumptum sanguinem purificet, scabiemque depellat, au-
diue.

diuerat : ille multis multa posse effici ratus , aliquot sumit sulphuris puluerisati cochlearia ; non multo post febre corripitur ardente , exastuatione summa cum delirio comitata , sed medicaminibus debitis rursus depulsa. Huius etiam farinae sunt oleosa , quæ quis erysipelati & locis inflammatis frustra adplicuerit : obstruunt enim vntuositate sua poros , ideoque calorem augent ; partibus vero corporis sanis ad arcendos v. g. sudores illinere , non esset adeo incongruum , quod ille senex in Græcia absque dubio protraxisset ? intus , inquebat melle , extus oleo : id quod in plantis & insectis se longe habet aliter , quippe quibus hæc inunctio solet esse exitio. Fugienda itidem oleosa , quia debilitant ventriculum. Sic dabant adstantes foeminae puerperæ tria circiter olei lini cochlearia , ex quo in hunc vsque diem ventriculus adeo est debilitatus , vt sumpta alimenta maximus angor & cruciatus insequantur cardialgici , vnde & ægra , quamdiu fieri potest , a cibo atque potu abstinet.

§. V. De Mercurii incongrua adhibitione cum iam supra quædam dixerimus , præterea vero ille ipse non sit principium Chemicorum primum , absolutum , & materialiter sic dictum , sed principium potius principiatum ac formaliter sumptum , plura proferre , & agere actum , non erit de necessario. Pergimus itaque ad aquea.

§. VI. De his supra dictum sub infusis , decoctis &c. addendum solum , quod externe sæpius male repellendi sine adhibeantur , ob occlusionem pororum postmodum fiente *postmodum*. Vfus itidem eorum cauendus largior ob tumorem pedum & hydropem inde oriundum. Sic ob-

serua-

seruauit Tulpus ab aqua frigidioris gargarisatione frequentiori, & potu iterato æstum febrilem in frigus esse commutatam lethalem.

§. VII. Terrea quantum noceant, dicant virgunculæ chloroticæ, quæ, ut album sibi conciliarent colorem, cretam comedendo, menstruum ventriculi reddiderunt iners, humidum absumere, adpetitum prostrauere caloremque destruxere, & ideo monendæ prouerbii: per quod quis peccat, per idem punitur & idem. Adde denique quod præcipitandi sine in febribus intermittentibus adhibita, illas in continuas sæpe transmutent, vel recidiuas post se relinquunt.

§. VIII. Conclusionis denique loco quasdam causas obuias, & communes, ut plurimum vero neglectas, morborum phalangem tam producentes & fouentes, quam eorundem curationem impediētes, paucis lustrare lubet. Inter has potui herbæ Thee non vltimus debetur locus, quippe qui cum mox dicendo Tabaco, Coffe, & Spiritu vini, vel ob rationem status, vel ob consuetudinem, vel ob sanitatem restaurandam aut conseruandam, falsam quidem ob persuasionem, sæpius, perperam adhibitus, lernam malorum corpori solet inferre. Lædunt enim dicta iam chylicationem tanquam vitæ fontem, & primum sanitatis condum, quid igitur mali non inde sperandum?

§. IX. Lædit itidem in specie chylicationem potus herbæ Thee, menstruum ventriculi nimis diluendo, tonumque eius laxando & destruendo, vnde ob tonum renum lassatum, debilitatum, debitamque refectionem impeditam corporis subsequitur lassitudo, consurgunt inde
tumo-

tumores pedum, hydrops, & alii morbi, tristi sæpenumero cum euentu.

§. X. Porro quid potus Coffe? Miretur quis, quare hic inter multorum recenseatur morborum causas, cum corpus potius egregie nutrire, adeoque ad sanitatem non parum conferre existimetur. Sed sciant, quibus hæc obflare videntur, quod longe a veritatis tramite aberrant, & fallaciam subtus latentem non recte inspiciant. Parie scilicet, vti id de omnibus leguminibus, quod nimirum sint flatulenta, diu & recte dictum, flatus, atque adeo ventriculum & intestina distendens & inflans, saturationem & nutritionem falso mentitur, rerumque ignaros atque incurios hoc modo feliciter solet decipere.

§. XI. Spiritus vini, aquæ mortis, vitæ inquam, communiter nomine veniens, in hunc quoque venit census: & caueat quis, ne, quia famem abigit, spiritus ad tempus roborat, & palato ablanditur, illum pro panacea corpõri maxime proficua habeat, experientia autem deinceps aliter edoctus, sero cum Phrygibus sapiat. Famem quidem illius perire vsu non negamus, nec vero putandum, naturam nullius ideo indigere alimenti; sed sciendum, quod adpetitus eo ipso destruat, fermentum ventriculi edulcoretur, inuertatur, narcosis spiritibus inducatur, bilis augeatur, intendatur, lympa vero acrior reddatur & diminuatur, rorido nectare exuta alienum adfectet statum, & vasa lymphatica crofa reddantur atque eccentrica. Quod si quis sibi persuadeat pinguiorem corporis habitum inde reddi, fallitur, oritur enim idem a lympa intemperata & elastica, vnde corpus fit subtumidum (aufgedunßen) non autem a firma nutrimenti adpositione.

tionem; ut febrem hecticam, cachexiam, tumorem pedum, hydropem, lassitudinem, stuporem, soporem, oblivionem inde propullulantes taceamus, atque inflammationes. Sic nouimus duos viros, peripneumonicos ob spiritus vini usum iteratum factos. Et notabile de eius excessu referunt Acta Hafniensia exemplum, de foemina, quae cum straminea, cui infederat, sella, flamma in corpore concepta, mane fuerat combusta & in cineres redacta inuenta, quod tamen vix veritatem meretur.

§. XII. Fumi tandem Tabaci vsus adeo increbuit hodie atque frequentatur, ut de illius noxa, ne veritate odium nobis pareremus veriti, aliquid dicere ferme dubitauerimus, & sicco hæc transire voluerimus pede: præstare tamen deinde veritatem dixisse, quam tacuisse existimauimus. Tabaci igitur bibuli, & quibus interest, sciunto, dictæ herbæ vsus in euacuando pituitam e cerebro, (die Flüße vom Haupte abzuführen/) de quo etiam supra, esse vel rarum, vel plane nullum & falso saltim creditum. Quod enim inter fumandum communiter reicitur, non est serum pituitosum semper atque excrementitium, sed lymphæ laudabilis, vitalis, spiritibus vigorata, cuius defectum natura tanquam sui conservatrix quidem ex fonte solet restituere, hic autem subinde exsiccat, corrumpitur, corpusque infimal spiritibus depauperatur. Sed obiiciat mihi quis, quod, licet humidum exspuendo absumatur, defectus tamen soleat suppleri potulentis eodem tempore frequentius adsumptis? cui, ut clarius res pateat, hoc respondeo simili. Scilicet, si quis haberet dolium cereuisæ vel vini plenum, & vellet subinde dictis liquoribus aliquid detraxere,

here, ac huius loco aquam simplicem infundere, quid tandem fieret? nonne liquores hoc modo perderentur? Ita idem valet de liquidorum ad defectum refarciendum inter fumationem Tabaci ingurgitatione, ita enim lymphā laudabilis ac rorida subtrahitur, exiit paulatim vitalitatem, corrumpitur, viresque indies fiunt debiliores. Tacemus eodem Tabaci usu ob vim, quam possidet, narcoticam, spiritus obtundi, adpetitum destrui, &, quod iam superius tactum, chylicationem, ac consequenter culinam & sanitatis fontem ladi, indeque non nisi malorum posse oriri cateruam. Nec enim obstat, morbos suas causas non semper presso insequi solere pede, sed longe demum post se præbere conspiciendos: tarditatem namque deinceps grauitate compensant, vnde plerumque valde sunt rebelles, aut omnino incurabiles, quibus frustra adhiberi medicamenta est in propatulo.

§. XIII. Restat adhuc *τὸ Θεῶν*, quod non omnino & hic prætereundum. Scilicet, vt in omnibus hisce & morbis, & remediis administrandis, DEVS O. M. pio cultu est venerandus, ita eidem omnis successus debetur, &, si minus responderit, exosculanda superior vis & directio. Vnde rectissime ille respondebat Ethnicæ Imperatori: an hominem mutare posse putas, quod DEO aliter placuit? Et dudum *Cous τὸ Θεῶν* in morbis agnouit, & attendere iubet latentem superiorem causam; adsentitque huic ipsa Scriptura sacra in utroque fœdere, diuina manu permittente a dæmone etiam mille artifice homines variis affligi morbis adserens, vti illud de Paulo, de Hiobo & aliis notum: quod quidem latius hoc loco exquirere nec fas est, nec nostri instituti, attingisse interim illud sufficit.

§. XIV. Et hæc breuiter de frustranea & inconuenienti medicamentorum adhibitione dicta sunt, quæ, si cui non arrident nec vera videntur, adeat vrbes, oppida, pagos, deprehendet vel in via ægrotantes, licet sapius sanos viros, innumeros, epilepticos, paralyticos, cæcos, surdos atque surdastris, mutos, asthmaticos, phthysicos, hecticos, cephalæa, cardialgia subinde laborantes, calculosos, ischiadicis, arthriticis, podagricis, foeminas hystericas, mensium inordinationes, suppressionem, decolorationem, defectum, fluxum nimium, fluorem album, chlorosin indeque ortam cachexiam, sterilitatem, purpuram &c. quibus omnibus prognostico relictis incassum dudum adhibita fuere medicamenta.

SOLI DEO GLORIA.

CAute mercari, vulgata paroemia, discas,
Ad medium sane pertinet eximie.
Regula non minor est turpis: non ante putaram;
Sed qui prudenter se gerit, ille sapit
Ergo Te doctum ac prudentem ars nostra celebrat,
Et merito applausu mactat honore caput.

*Honoris & beneuolæ gratulationis
ergo scrib.*

PRÆSES.




ULB Halle

3

005 312 361







DVCE ET AVSPICE CHRISTO!
DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA
DE

3. 23

1715, 19

FRVSTRANEA ET INCONVENIENTI MEDI- CAMENTORVM ADHIBITIONE,

RECTORE ACADEMIÆ SALANÆ MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO
DOMINO

WILHELMO HENRICO,

DUCE SAXONIAE, IVLIACI, CLIVIAE, MONTIVM,
ANGARIAE, WESTPHALIAE, ET RELIQA,
SVB PRÆSIDIO

GEORGII WOLFFGANGI WEDELII,

HEREDITARII in Schwarza/
MEDICINAE DOCTORIS, COMITIS PALATINI CÆSAREI,
SERENISSIMORVM SAXONIÆ DVCVM CONSILIARII
ET ARCHIATRI,
THEORETICES PROFESSORIS PVBLICI ORDINARII,
h. t. PRO-RECTORIS MAGNIFICI,
Patroni & Praeceptoris omni pietatis cultu & laude prosequendi,

PRO LICENTIA

SVMMOS IN ARTE MEDICA HONORES, INSIGNIA AC PRIVI-
LEGIA DOCTORALIA, MORE MAIORVM, RITE CAPESSENDI,
PVBLICE DISQVIVISIONI SVEMISSA

IOH. DOELZIO, Zeulenroda Varisco,

IN AVDITORIO MEDICO,

Horis ante- & pomeridianis consuētis,

Ad D. Aug. MDCC XV.

IBENÆ LITERIS KREBSIANIS.